

I. Henrici Hottingeri [...] exercitationes rituales, quarum prior argumentis adstruit originem sacrificiorum patriarchalium divinam esse, & dependere a praecepto divino, altera vero contraria solvit argumenta

Autor(en): **Hottinger, J. Heinrich**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1746)**

Heft 2

PDF erstellt am: **16.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394579>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

J. HENRICI HOTTINGERI

*S. Theol. Doct. & Prof. in illustri Academ.
Heidelberg. Celeberrimi,*


EXERCITATIONES RITUALES,


Quarum Prior Argumentis
adstruit

Originem Sacrificiorum Patri-
archalium divinam esse,
& dependere a Præcepto
divino;

Altera vero contraria solvit
Argumenta.

*Jam A. 1706 Marburgi habitæ, nunc vero recusa
& Curis posterioribus mutata & emendata.*





Exercitatio Ritualis Prior

De

Origine Sacrificiorum Patriarchalium

divina

κατάσκευασινῶς pertractata.

§. I.

Post benignissimi Salvatoris nostri e mundo discessum plures exstiterunt, qui crediderunt Sacrificiorum ortum non a Lege aut Revelatione quadam divina arcessendum esse: Patriarchas enim ἐκ ἀπειθέντας φυσικῶ δε νόμῳ κινηθέντας ἀφ' ἑαυτῶν προσενέγκαι θυσίαν Θεῷ ἀπὸ γνώμης εὐαγρίστος, non iussos, sed naturali aliquo instinctu & lege motos, sponte sua, e grato favoris divini sensu victimam Deo obtulisse, asserunt, quemadmodum Spenser ex Autore Constit. Apost. verba & citat & transfert. Hanc sententiam nonnulli ex Patribus profitentur, quod luculentis Testimoniis ab illis, qui illorum scripta evolverunt, comprobatum legimus: Ita *Illustris Grotius de Verit. Relig. Chr. l. V. in Annot. ad §. VIII.* profert Testimonia *Chrysostomi & Autoris Responsonum ad Orthodoxos*: Eadem prostant apud *Outramum de Sacrif. c. I. §. VI.* quibus etiam alia ex eodem *Chrysostomo* addidit, quæ vero, quia Autores in multorum manibus versantur, describere superfedemus. Hos magno numero sequuntur Pontificii, vide verba *Bellarmini*

& *Salmeronis* apud *Cel. Theologum Joh. Gerbardum* T. III. L. *Com.* p. 105. Quo referam *Joh. Azorium, Lorcitatum*, non satis liquet. Etenim l. X. *Instit. Moral. C. XVII. ad Quæst. V.* scribit. *Patriarchas immolasse vel Dei Afflatu permotos vel Instituto & More Majorum edoctos.* At ad *Quæst. VII. Sacrificium universe sumtum esse Juris Naturalis, sed certum & speciale esse vel Juris divini vel humani, non naturalis.* Verum, quam adfert, Ratio parum stringit; *Quemadmodum Jus Naturale præcipit orandum esse Deum, sed certæ vel definitæ preces & præscriptæ precandi formulæ Juris divini vel humani sunt.* Ingens est differentia inter cultum *Sacrificiorum & Precum.* Omnino animus dicitur Deum esse invocandum, sed non dicitur eum *Sacrificiorum* Immolatione esse colendum, ut, quæ sequuntur, evincunt. Sequuntur quoque *Sociniani & Remonstrantes.* Nec ex nostris desunt, qui allatæ de *Sacrificiorum* prima origine sententiæ album calculum adjiciunt, quamvis varii vario fine: Neminem tamen scio, qui majori conatu, doctiore calamo, illam probare atque ab *Adversariorum* telis salvam tueri annifus sit, ac vero præstitum a *JOHANNE SPENCERO* *Celeberrimo Theologo atque Philologo Anglo in Dissertatione de Ratione atque Origine sacrificiorum* l. III. *Diff. II. c. IV.* pag. m. 146. ubi *Vir Doctissimus* probare conatur *Abelem, Noachum & cæteros, qui ante Legem Deum sacrificio coluere, id muneris, nullo Dei explicito jussu, sed pia animi sui inductione præstitisse.*

§. II. Quæstio haud exigui Momenti. Si enim solidis probari posset Argumentis *Patriarchas* ante *Legem* proprio motu, non *Auctore Deo*, sacrificasse,

ficasse, statuendum esset *ἱεροθρησκείαν* recte se habere, Deo placere & quod magis est, Sacrificia per duo Annorum millia nullum habuisse respectum ad Messiam, ejusque Sacrificium. Nemo, ut puto, asseret animum quoque citra Revelationem divinam Patriarchis dictasse, Filium Dei esse incarnandum offerendumque pro peccatis generis humani, atque adeo sacrificiorum oblatione hoc præsignificatum fuisse. Mysteria (ex Mysteriis vero hoc est) non docet Caro & Sanguis aut Dictamen Rationis. Gratiae Signa & Sigilla non instituit peccator, sed solus Deus Misericors, veræ Gratiae Auctor & Collator. Quare non mirum propendere ad negandam Originem Sacrificiorum divinam illos, qui negant Mortem Jesu Christi ejusque Substitutionem vicariam. Profecto multum lucrarentur *ὑπόθεσιν* hanc adstructuri, si ipse Homo cultum Sacrificiorum excogitasset.

§. III. Quare, qui Evangelio credunt ac in Morte Jesu Christi, tanquam Sacrificio hilastico pro Peccatis nostris, salutem ac Vitam æternam quærunt, non solum Sacrificia Mosaica a Deo præcepta habent, sed & Patriarcharum ceu gratiosas divinas Picturas, Promissiones, Prædictiones ac Sigilla ingentis Beneficii per Mortem Filii in Fideles conferendi.

§. IV. Verum ultro fatemur, nondum haberi posse solidam probationem Positionis, quæ intentioni nostræ ac Articulo, quem profitemur, favet; Plus ad probandum posci. Quare primo statum controversiæ rite formabimus; Tum The-
sin Argumentis probabimus.

§. V. Non quæritur: Annon Mens humana attendentem doceat bona, quæ Deus confert, ipsi esse consecranda? Nec quæritur: Annon late & improprie Sacrificium dici possit devotus erga Numen cultus & gratiarum Actio pro Beneficiis collatis, vel etiam horum usus ad Gloriam Dei? Hoc sensu utique origo sacrificiorum dictata a pia Mente peti potest. Hæc non sunt controversa. Sed quæritur: An Patriarchæ ante Legem nulla alia gavisi fuerint cultus norma præter dictamen Rationis? An ne susurrus quidem Legis divinæ de Deo Sacrificiis honorando primis Hominum Patribus innotuerit, quod Spencerus affirmat? Nos vero cum aliis negamus & asserimus, Deum, qui omnis legitimi cultus Auctor est, memoratis Patribus suggestisse ac etiam expresse præcepisse de Sacrificiis in Honorem suum offerendis, testanda Eucharistia ac etiam in iis quærenda peccatorum venia. Non quidem eo fine, ac si in ipsis sacrificiis vis peccata expiandi sita fuisset, sed quod gratus Deus pios ad *δύναμιν* Passionum & Mortis Messæ cogitandam ducere voluerit. Unde Patriarchæ rite offerentes certi esse poterant, se sacrificiorum cultu Deo acceptos esse, ac ob virtutem veri Sacrificii in plenitudine Temporum offerendi Gratiam & Veniam divinam consequi.

§. VI. *Tenebo autem hunc ordinem. Primo proferam Rationes, quæ Thesin probant. Tum occurreram objectionibus.*

§. VII. *Rationes ex triplici fonte deducam. Primo ex claris Scripturæ Testimoniis, quæ testantur Patriarchas ante Legem, Deo præcipiente, sacrificasse; Dein addu-*

adducam sacrificantium Exempla, quæ evidentia continent Argumenta dictos Patriarchas non ex mero proprio voluntatis Arbitrio sacra obtulisse. Tertio memorabo Argumenta, quæ Deum cultus hujus Auctorem declarant. Filum hoc triplicatum forte est nec rumpitur. A Deo est, quod ipse præcepit; quod pii propter εὐδοκίαν Dei fecerunt; quod non fundatum esse potest, quam in Voluntate Numinis certum Mysterium respiciente.

§. VIII. *Quod attinet primam Argumentorum Classem sive Præcepta Dei Cultum Sacrificiorum mandantia, tale Præceptum Deus dedit Abrahamo, idque duplum, vario tempore. Primum exstat Gen. XV. 9. לי קחה לי accipe mihi vaccam triennem, & capram triennem atque arietem triennem, turturem quoque & pulchum columbarum. Ubi notandum animalia, quorum nomina exprimuntur, eadem esse, quæ sub Lege sola legitima & a Deo præcepta erant, ut ex illis sacrificia offerantur Lev. I. 17, 14. Quemadmodum Maimonides quoque de illis statuit; Omnes oblationes animantium ex quinque speciebus non nisi desumuntur, מן הבקר ובן הכבשים ובן העוים ובן היונה ex pecore bovino, agnino, hircino, turturibus & pullis columbarum. De his præcipit Deus ad Abrahamum: לי קחה לי accipe mihi, ut illa sacra facias, ut fœdus ineundum sanguine confirmes, ceu quod in fœderibus solenne est, vide Exod. XXIV: 5. Psalm. L: 5. Bene Onkelos sensum exprimit קריב קריב offer coram me: Non metuendum est argumentum quidquam valoris amittere, si Textus antecedanea et consequentia probe expenduntur, nam cum Abrahamus credens a Deo promissum tulit, quod Terram Ca-*

naan in femine suo possessurus sit, petiit in majorem certitudinem signum: Annuit Deus, atque præcepit, ut animantia certa fumeret, super quibus postea fœdus pepigerat, sicque Abrahamum certum fecerat: Ergo Abrahamus ex numero Patrum, qui ante Legem vixerunt, minime injusus animalia Deo sacra fecit & quidem ad fœdus cum Deo secandum, ad promissum divinum confirmandum: Hoc certe non Ratio ipsi suggererat, cum ipse dicat: *Unde scire possum, quod possessurus sum eam* v. 8. C. cit.

§. IX. *Alterum datum Abrahamo explorando, Gen. XXII: 2. קח שמה, quæso, filium tuum, unicum illum tuum, quem amas, Isaacum scil. & vade in Terram Moriah, והעלהו שם לעלה atque offer eum ibi in holocaustum: Hæc verba expressum Dei mandatum continent: Verum quidem est sacrificium hoc, quod לעלה appellatur, & cujus generis pleraque ante Legem fuerunt, ex homine desumptum esse, & idcirco ad istam sacrificiorum classem, de qua nobis sermo est, minime referendum: Vix tamen credo, Deum Abrahamo illud in mandato dedisse, nisi etiam ceteræ oblationes divinæ Originis fuissent. Insuper ex eadem Historia scimus, quod Deus explorata servi sui obedientia legitima Victima, nempe ariete, qui cornibus suis vepreto implicatus erat, illi providerit, quem etiam obtulit לעלה תחת בנו in holocaustum pro filio suo, e. cit. v. 13. Quæ satis docent Deo volente, imo Victimam subministrante, Abrahamum sacrificasse. Qui enim Sacrificium dat, ille quam maxime habendus est Auctor & Præceptor Cultus per Sacrificium facti.* Abrahamus

mus in iis tum positus erat circumstantiis, in quibus de Sacrificio offerendo nequidem cogitaverat, multo minus ipse proprio Motu sacrificare constituit: Ideo sacrificavit, quia extraordinaria Numinis Providentia arietem vidit & recte collegit, quod eum ex Voluntate Dei offerre teneatur.

§. X. Datum quoque Præceptum Jacobo: Gen. XXXV: 1. Dixit Deus ad Jacobum: surge, ascende in Bethel & habita ibi **וַיַּעַשׂ שָׁמָּה מִזְבֵּחַ לַאֲלֹהִים** faciesque ibi altare Deo, quod Dei mandatum a Jacobo impletum novimus ex **וְ** 7. Forfan dices: Præceptum quidem datum de Ara exstruenda, non vero de Sacrificiis offerendis. Resp. Omnino qui præcepit Aræ exstructionem, præcepit quoque Aræ usum. At usus Aræ proprius est, Victimam in ea sacrificare. Unde dicitur **מִזְבֵּחַ** a Sacrificiis in ea Deo consecratis. Sacrificium ipsum dicitur **זָבַח** & Actus sacrificandi exprimitur verbo **זָבַח** sacrificavit. Talis usus non solum fuit sub Oeconomia Mosaica Lev. I. II. III. IV. sed & antecedente v. Gen. VIII: 20. XXII: 9.

§. XI. Datum præterea Præceptum Amicis Jobi viventibus, ut communiter judicatur, ante Oeconomiam Mosaicam. Exstat illud Jobi XLII: 7, 8. Dixit Dominus ad Eliphaz illum Themanitem; exarsit ira mea contra te, & contra duos socios tuos, quod non locuti sitis de me rectum, sicuti servus meus Jobus. Itaque nunc **קָחוּ**, sumite vobis septem juvencos & septem arietes & abite ad servum meum Jobbum **וְהֵעֵלִיתֶם עֹלָה בְעֹדְכֶם** & offeretis holocaustum pro vobis: mox commate sequente: & fecerunt **כַּאֲשֶׁר דָּבַר** sicuti locutus est **יְהוָה אֱלֹהֵי** (LXX non male **συνέταξε**

præcepit) ad illos Adonai. Non puto quidquam in his verbis desiderari, quominus jure asseram, Deum Amicis Jobhi ad sacrificandum præceptum dedisse, nam non tantum explicatur Dei jussus, & subsequens obsequium juxta illum docetur, sed insuper ratio: Nam cum Amici Jobhi errarant in mente sua de judicio Dei & de Jobho ac similibus piis afflictis, Deus ad iram provocabatur, quam prius remittere non vult, quam vero ipsi junctis Jobhi precibus sacrificarint, quare dicit *offeretis holocaustum* בָּעֲדָכֶם *pro vobis* in condonationem delicti vestri, uti alibi בָּעֲדָכֶם non semel usurpatur Lev. IX: 7. XVI: 6, 11, 17. Nemo autem hominum ex se novit modum cum irato Deo, offerendo sacrificia hilastica, in Gratiam redeundi. At hac de re plura dicendi inferius occasio dabitur.

§. XII. *Ad hanc Argumentorum Classsem referimus quoque Historiam Melchisedeci Sacerdotis.* Firmiter enim argumentamur: *Deus Melchisedecum Sacerdotem constituit; Ergo Deus jam ante Legem Præceptum dedit de Sacrificiis offerendis.* Ratio clara. Nam Sacerdotis functio est sacrificare. Qui constituitur Sacerdos, constituitur quoque ad sacrificandum. Melchisedecum Sacerdotem fuisse nemo jure negat. Exstat aperte Gen. XIV: 18. *Et ille כהן sacerdos.* Concedimus, quod vox hebraica etiam adhibeatur de Viris Eminentia Politica illustribus, veluti 2. Sam. VIII: 18. conf. 1. Chron. XVIII: 17. Verum rarius & in præsentis loco notio hæc impossibilis est. Nam (1.) distinguitur a Dignitate politica regia. *Melchisedec Rex Salem protulit panem & vinum. Et ipse כהן sacerdos.* Qui

Qui Rex etiam Sacerdos. (2.) Non solum LXX vertunt ἱερεὺς Sacerdos, sed etiam Auctor Θεόπρευ-
 5ος Hebr. VII: 1. Sed dices: Nondum sequitur; Ergo Melchisedecus Sacerdos a Deo constitutus est: Sub liberiori Oeconomia omnes pii Sacerdotes erant. Resp. Probatur sequentibus rationibus: dicitur כהן לאל עליון Sacerdos Dei altissimi. I. cit. Quo sensu? An quia Sacra Deo fecit? Non. Nam ita quoque Abel, Noachus, Abrahamus Sacerdotes Dei altissimi fuissent, qui vero ne quidem Titulum Sacerdos gesserant. Quo ergo sensu? Quia modo singulari a Deo constitutus erat Sacerdos. Unde Hebr. VII: 1. ἱερεὺς τῷ Θεῷ ὑψίστῳ Sacerdos Dei altissimi, a Deo altissimo vocatus. Quomodo legimus Jud. XVIII: 19. Num melius, ut sis כהן לבית איש, Sacerdos domus unius Viri, aut ut sis כהן לשבט Sacerdos Tribus & Familiæ Israeliticæ, h. est: ab uno viro constitutus, ut domesticus tantum sis Sacerdos; aut a Tribu & Familia Israel, adeoque magis publicus Sacerdos. Et I. Sam. XIV: 3. Eli כהן יהוה Sacerdos Jehovæ in Schilo, qui a Deo constitutus, ut Sacerdotio fungeretur. Dein Melchisedecus eximie refert Pontificem Jesum Christum. Hic vero ex Voluntate Patris sui constitutus est Pontifex. Ergo etiam Typus. Quod est in Antitypo, etiam est suo modo in Typo. Maxime ob locum Hebr. V. 4-7. Pontifex non sibi ipsi accipit Honorem, sed vocatus a Deo, quemadmodum etiam Aharon; ita & Christus. Quo Argumento? Quia scriptum est Ps. CX: 4. Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedeci. Ergo Melchisedecus Sacerdos a Deo vocatus est. Analogia alias nulla esset; Si Melchisedecus sponte, nulla vocatione divina, fuisset Sacerdos; At
 Jesus

Jesus Christus vocatione divina. Hic non esset secundum Ordinem Melchisedeci. Accedit quod præcipua habenda videatur ratio Abrahami victoria reportata Decimas Melchisedeco ceu Sacerdoti solventis v. Gen. XIV : 20. Hebr. VII: 2, 4, 6. Si Melchisedecus e numero communium Sacerdotum, quales illo Ævo erant, exstitisset, quare illi Decimæ fuissent solutæ? Non video rationem; Tanto minus, quod Melchisedecus e Majoribus Abrahami haud fuerit. Recte igitur concludimus, quod hic sensu eminenti Sacerdos fuerit publicus a Deo singulariter constitutus. Unde sponte fluit, quod Sacrificia ante Legem a Deo instituta fuerint.

§. XIII. Spencerus ergo nullam habuit Causam afferendi, *Patres Mose vetustiores spontè sua sacrificasse*, quandoquidem probavimus præcepisse Deum, ut Sacrificia offerrent; præcepisse quoque, ut Ara constitueretur. Aræ autem Usus Sacrificiorum Oblatio erat; Constituisse publicum Sacerdotem fideles inter. Sacerdotum autem est sacrificare.

§. XIV. Nolumus tamen hic subsistere. *Progredimur Exempla sacrificantium cum attentione consideraturi, ut ex iis quoque evincamus, Sacrificia ex mero Arbitrio humano Ortum haud habuisse.* Horum primum, cujus Scriptura diserte meminit, habemus in Caino & Abele. Verba Mosis Gen. IV : 3, 4. hæc sunt : *Et adduxit Cain de fructu terræ מנחה Munus τῶ Adonai. Et Abel ipse etiam adduxit de Primogenitis ovium suarum & pinguedinibus earum יציר & aspexit Adonai ad Abelem & ad Munus ejus. At ad Cainum & ad Munus ejus non aspexit.* Verum

rum est: Moses nullam expressam facit Mentionem Mandati divini Filiis Adami perhibiti, ut offerrent. Attamen expresse memorat, Deum solum Abelem & Munus ejus aspexisse; non vero aspexisse Cainum & Munus ejus. Quia vero penes Deum non est προσωποληψία & duos fratres moraliter pares pariter quoque tractat, clare sequitur, gravem fuisse apud Deum causam Abelem aspiciendi, non item Cainum, sive publicum gratiosum divinum Testimonium dandi de sacrificio Abelis, nullum de Caini. Causa non latet in materia doni: Unusquisque diversis facultatibus & studiis convenientem adduxit oblationem. Cainus agricola de frugibus terræ, sed Abel Pastor de grege. Deus Spiritus non capitur adipe Primogenitorum. Alia igitur ratio quærenda est. Ratio diversitatis non datur in externis Circumstantiis sacrificantium: Erant fratres uterini: Cain erat primogenitus, qui, ut quidam opinantur, (sed absque fundamento,) Privilegium offerendi præ fratre natu minore habuerat: Nulla differentia in Locis aut Aris notatur. Si Spencero credimus, Ratio utrumque fratrem monuit de sacris statibus suis convenientibus Deo, Auctori Benedictionis, in Signum grati animi offerendis. Si vero eadem causa impulsiva, quæ ratio quod Deus Abelem gratiose aspexerit, non vero Cainum. Apostolus genuinam diversitatis Causam aperit testans: *Abel πίσει, fide præstantius Sacrificium Deo obtulit, quam Cain; per quam reportavit Testimonium, quod esset justus.* Hebr. XI: 4. Causa ergo est fides in Abele, ἀπιστία in Caino.

§. XV. At dices: Quomodo hinc sequitur institutio Sacrificiorum divina? *Resp.* sequenti mode.

modo. Qui credit, fidem habet Verbo divino, obſignat quod Deus verax ſit : Agit id, quod Deus mandat, & eo modo, quo agere debet: Exſpectat bonum quod Deus promittit. Unde ſequitur, Deum officium ſacrificandi revelaffe, præcepiffe, hinc etiam Abelem credentem promiſſum divinum exſpectaſſe. Obtulit enim in *fide*. *Fides* dein, ut exſtat Rom. X: 17. *eſt ex auditu; auditus autem per Verbum Dei*. Inſuper attendenda eſt fidei definitio, quæ ab initio Cap. XI. legitur: *Eſt autem fides eorum, quæ ſperantur, Hypoſtaſis; Rerum, quæ non videntur, demonſtratio*. Quæ vero tuto & cum fundamento ſperantur, a Deo ſunt revelata, at ſpes citra Revelationem, Promiſſionem Numinis, *ὀπίσσω* eſſe nequit. Hæc generaliora ſenſim ducunt ad concludendum, Deum revelaffe Sacrificium Meſſiæ pro peccatoribus *ἐναντίας* offerendum, atque ideo inſtituiſſe Cultum Victimarum, ut offerentes teſtarentur, ſe promiſſioni huic fidem præſtare, ac ita conſequerentur ſummum, quod latet, promiſſum Bonum in Morte Meſſiæ. Certum enim eſt fidem, quam Evangelium commendat, Jeſum Chriſtum ejusque Mortem pro objecto ſpeciali habere; præprimis Epistolam ad Hebræos. Auctor Epistolæ enim non hoc ſolum intendit, ut Hebræi firmiter credant, Deum in pios ingentia conferre Beneficia. Adverſus talem fidem infideles Hebræi minime inſurrexerant. Hæc fides etiam ab infidelibus probabatur. Controverſia erat de fide in Jeſum Chriſtum per paſſiones conſummatum teſtanda. * Hanc Apoſtolus per totam Epistolam incul-

* Aliter ſentiunt CALVINUS in Comment. Clarif. Theol. ap. Baſil. J. CHR. BECKIUS in Medit. de Fide Hom. Chriſt. Sect. I. §. XV. XVI.

inculcaverat. In ipso hoc Capite XI: 26. Hoc speciale fidei objectum Abeli jam innotuerat. Mors Messiae substantia nihil aliud est quam contritio calcanei Seminis Mulieris Gen. III: 15. Nemo dubitabit Adamum Protevangelium hoc liberis suis haud raro, ad fidem excitandam, conservandum tradidisse.

§. XVI. Proposita haecenus & probata *fidei* Abelis expositio Spencero displicet quam maxime. Unde, ut aliter sentientes ab hoc praesidio depelleret, nihil intermisit. Quare primo dicit: *Fidem Abelis fuisse persuasionem tam firmam & altissimam de propenso Dei in pios omnes Affectu & Praemiis amplissimis in pie viventes conferendis, quod vitam ad Pietatis Regulas instituerit & non tantum Bona sua, sed & seipsum Deo dedit.* Resp. Haec & consimilia non rejicimus. Habeantur alte infixae menti Abelis. Sed quare omittenda sunt, quae fidei Evangelicae Naturam constituunt, quum tamen Exemplum Abelis in fide offerentis ad hanc probandam allegetur? Cui usui allegatio, si fides Abelis alia est a fide, quam commendat Apostolus? Imo haec ipsa fides Revelationi & Gratiae in Sacrificio Messiae innitens praecclare facit, ut firmissima sit persuasio de larga remuneratione erga fideles & pios. Quare ergo Spencerus tantopere id agit, ut in fide Abelis nullus sit respectus ad Voluntatem divinam; Ad gratiam Dei in contritione Calcanei Seminis Mulieris, vel quod idem est in Morte Messiae?

§. XVII. *Secundo excipit: Si fides Abelis deserto aliquo Praecepto vel promisso niteretur, haud facile expe-*

expediendum est, cur Abel per fidem majoris pretii victimam, quam Cain Deo attulisse diceretur, nisi Cainus malus, sponte & Ratione sola monente. Abel autem bonus, non nisi Lege coactus, bona sua Deo sacrasse censeatur. Resp. Facile id, quod Spencero difficile videtur, expediri potest: Non quod Cain sponte & Ratione sola monente sacrificaverit. Utrumque ex Revelatione motum obtulisse credimus, sed diversissimo scopo: Abel per fidem obtulit, quæ non in eo *κατ' ἐξοχήν* consistit, quod ob explicatum Dei jussum, sed ob fidem in manifestandum mulieris Semen, atque per passiones consummandum, omnem Benedictionis Auctorem, sacra fecerit. Quia vero hac posteriori Caini sacrificium destitutum erat, sine fide cultum hunc obuisse censebatur, tanquam Justitarius existimans se posse ita Deum sibi devincire; (solus Dei jussus homini infideli & impio minime prodesse poterat;) vel, si mavis, ut Hypocrita putans cultum externum præstitum jam sufficere.

§. XVIII. *Tertio addit: Quia Abelis oblata ab Apostolo δῶρα appellantur, inde patet, ejus oblationem e pio voluntatis propriæ motu, potius quam Legis alicujus præscripto, prodiiisse.* Resp. Fateor primo intuitu verba hæc quandam veritatis speciem præ se ferre, sed quo magis examinantur, eo magis etiam illam amittunt. Non dicam, Deum potuisse cultum sacrificiorum generaliter instituere & tamen oblationes appellari δῶρα, quia non ita illum instituit, ut Patres Lege quadam coacti ob certas causas hoc & illo tempore hoc & illud sacrificium offerre debuerint, sed materia, tempus, modus, similiaque nulla Lege constringebantur. Ita

Ita Israelitæ ex spontaneo cordis motu dona ad Tabernaculum ejusque vasa conficiendum mittebant; & tamen Deus præceptum tulit, ut illa darent & inde Tabernaculum extruerent. Sed valor vocabuli indagandus est, qui cognitus nihil Spencerum juvat. Paulus, ut alias frequenter, ita etiam hic sequitur LXX Viros, qui in Genesi ואל מנחתו transferunt ἐπι τοῖς δώροις αὐτῶν, Cap. IV: 4. Ex usu autem patet illis receptam esse; quando in Textu Originali exstat קרבן, translationem per δῶρον, quemadmodum etiam Marc. VII: 11. κορβάν ὃ ἐστὶ δῶρον: At hoc vocabulum centies usurpatur de oblatione ex Legis præscripto proveniente: imo tum, quando ob peccatum commissum Sacrificium necessario adducendum erat, veluti Lev. V: 11. Textus Hebræus habet וְהָבִיָּא אֶת קִרְבָּנוֹ אֲשֶׁר חָטָא LXX. καὶ ὀίσει τὸ δῶρον αὐτῶν, περὶ ἑ ἡμαρτε. Rursum Numer. V: 15. וְהָבִיָּא אֶת קִרְבָּנוֹ עֲלֶיהָ LXX. καὶ προσοίσει τὸ δῶρον περὶ αὐτῆς. Transeo plura & progredior ad alia sacrificantium Exempla.

§. XIX. Alterum sacrificantium Exemplum prostat in Noacho Gen. VIII: 20. *Et edificavit Noachus Altare Jehovæ & sumisit de omni Bestia munda, & de omni Ave munda, obtulitque Holocausta in Altari & odoratus est Jehova Odorem Quietis.* Etiam hoc Exemplum non diserte memorat Mandatum offerendi divinum: Probe tamen pensitatum implicite illud continet. Non enim credibile est, Noachum statim post finem Diluvii, antequam quidquam egerat, Altare Deo extruxisse & in eo Sacrificia obtulisse; nonnisi dictante Ratione, ex proprio motu & voluntate; citra Mandatum

datum divinum. Singularis Pietatis Vir certissimus erat, quod Vita & Cultus instituendus esset ex Voluntate Dei, non propria. Quomodo alias ex ingenti periculo liberatus omnium primo Cultum externum præstitisset Deo non volenti? Dein an credibile est, Virum hunc proprio motu ex Animalibus & Avibus, quæ in Arca singulari Voluntate divina eum in finem asservabantur, ut novus Orbis iis rursus impleretur, occidisse? Cor ei pium potius consilium suggessisset de paucis Animalibus & Avibus superstutibus in vita conservandis. Porro meminit Animalium & Avium mundarum: An Noachus discrimen hoc primus excogitavit & qua solida ratione? An quod ex Creatione & Natura Homo purum discernendi & quasdam Creaturas puras Sacrificiis aptas, alias impuras declarandi Jus habet? An postea Deus Noachi distinctionem in suum usum convertit? Ego non possum credere; de quo tamen ad §. XXVI. plura. Et quando additur: *Odoratus est Jehova Odorem Quietis*, ἰσχυρία hæc longe major videtur quam quæ sit prædicanda de Sacrificio sola Ratione dictante oblato. Existimo igitur Deum jam primis Parentibus mandatum de Cultu Sacrificiorum horumque scopo dedisse, hos vero ad Posteritatem propagasse: Unde Filii Adami, Abel & Cainus sacrificarunt, sacrificavit quoque Noachus, speciatim certus factus de gratioso *Aspectu* Dei erga Abelem, vel Testimonio divino, quod communiter per cœlestem ἐμπυρισμὸν exponi solet, ad declarandum acquiescentiam Voluntatis suæ. Quare finito Diluvio totus lætus, ante omnia alia, Holocausta Deo immolavit, testaturus Reverentiam, Gratitudinem, Fidem. Unde oblatio hæc cessit

cessit in odorem bonæ fragrantiae, adeo ut etiam gratiosissime constituerit de Hominibus, Peccatoribus licet, non amplius aqua perdendis.

§. XX. Tertius ex sacrificantibus Abrahamus erat, quem jam supra §. VIII. & IX. jussu divino compulsus sacra fecisse clare probavimus. Qui horum Argumentorum δύναμιν agnoscunt, faciliores erunt in concedendo, quod etiam aliis Temporibus & Locis, licet diserte non exprimat, jussus sacrificaverit. Moses brevitatis perstudiosus minime secum constituit plenam Historiam & Origines Patriarcharum & Actionum, quas recenset, tradere. Et quando ævo, quo is vixerat, cuncti noverant Sacrificiorum Cultum esse a Deo præceptum, hoc ipsum judicaverant de Sacrificiis Patriarcharum, utpote quos hoc in Cultu secuti sunt. Haud cogitaverant; Cultus, quem Homines prius ante excogitaverunt, postea demum divino mandato introductus est, quasi Deus inventum ab Hominibus Cultum divinum declaraverit, ac ita ex ἐθελοθρησκεία fecerit Θεοθρησκείαν. Dein facilis est conclusio; Melchisedecus, Abrahamus, Jacobus, Amici Jobi, ut supra probatum, claro Numinis Jussu sacrificarunt; Ergo & reliqui Patres ante Legem, vel etiam ii ipsi alia Occasione. Argumentum est a pari. Vel aliquando Mandatum Numinis diserte exstat, poscentibus singularibus causis, ut Gen. XV. & XXII. Credibile quam maxime est Abrahamum in Locis allegatis non sacrificasse, nisi speciale accepisset Mandatum divinum. Alibi sacrificavit sponte innitens generali Præcepto de Victimis in honorem Dei & in fide immolandis. Dices: Ubi, excep-

tis citatis Locis, Abrahami offerentis mentio fit? Respondeo: Gen. XII: 7. *Et visus est Jehova Abrahamo & dixit: Semini tuo dabo hanc terram. Et exstruxit ibi Altare Jehovæ ipsi viso. Et statim v. 8. commorans inter Ai & Bethel exstruxit Altare Jehovæ & invocavit Nomen Jehovæ. Insuper XIII: 18. accepta Benedictione rursus dicitur Altare Jehovæ exstruxisse. Exstructio autem מִזְבֵּחַ Altaris a זָבַח sacrificiis dicti infert Sacrificiorum oblationem. Quando vero Loco primo & tertio memoratur, singularem Amicum Dei, Deo viso, Benedictione reportata, Altare exstruxisse, quis credet eum Cultum testatum fuisse ex propria Voluntate, non vero Dei, qui apparuit. Inclaruit Abrahamus de *observanda Via Dei* sive Religione, quam Deus observandam mandavit, non de ἐθελοθρησκεία inventa. Vid. Gen. XVIII: 19.*

§. XXI. Quartus est Isaacus, de quo legimus Gen. XXVI: 24, 25. *Apparuit ei Jehova in nocte illa & dixit: Ego Deus Abrahami Patris tui. Noli timere, nam ego tecum & benedicam tibi & multiplicabo semen tuum propter Abrahamum servum meum. וַיִּבֶן & ÆDIFICAVIT (Vulgatus, Schmi- dius: itaque ædificavit) ibi ALTARE & invocavit Nomen Jehovæ. Quæ ex superioribus huc referenda, transeo. Noto tantum Isaacum, Abrahami Filium, sine dubio ex Ore Patris semel ac iterum audivisse Mandatum Dei de Sacrificiis offerendis Gen. XV. imo ipsum præsentem fuisse, quando Providentia Dei prorsus singulari Aries sibi ceu Holocausto, substitutus fuerat. Quis igitur credet Isaacum Aram in usum Sacrificiorum exstruxisse, ut obsequeretur proprio & humano motui, non vero*

vero Præcepto & *εὐδοκία* Dei circa intentionem Sacrorum.

§. XXII. Quem ultimo ex Patribus ante Legem sacrificantem produco, Jobus est, de quo Job. I: 5. *Factum est, postquam circuiverunt dies hujus convivii, & misit Job & sanctificavit illos (Liberos suos) & multo mane surrexit ac obtulit Holocausta numero omnium illorum (nam cogitaverat Jobus; forsitan peccarunt filii mei & maledixerunt Deo in Corde suo) sic fecerat omnibus Temporibus.* Probe notanda est Causa horum Holocaustorum: Non erat Beneficium vel Periculum aut Votum, sed impietas Liberorum forsan commissa. Dein quod Jobus tot sacra fecerit Holocausta, quot ei Liberi erant. Existimaverat ergo Vir pius peccata Liberorum iram Dei excitare; Veniam vero iis dari offerendo Holocausta; Victimam esse occidendam, ut Liberi viverent. Jam quæritur: An sana Ratio homini pio dicat, Peccata morte Bestiarum expiari; occidendam esse Bestiam, ut peccatores vivere pergant? Ratio *λογικῶς* vel *rationaliter* cogitat. Quæ nunc illa Rationis Ratio? An Deus indiget sanguine vel carne Bestiarum? An ita glorificatur? An peccatores meliores redduntur? Ratio solida alia dari nequit, quam mandatum Dei & intentio peccatores salvandi per Mortem Messiae, quam adumbraverant Mortes Victimarum. Amici Jobi, jubente Deo, pro peccatis suis obtulerant C. XLII: 8. Quare non etiam Jobus? Elihu satis clare testatur se verum sacrificiorum expiatoriorum finem perspexisse. Job. XXXIII: 23, 24.

§. XXIII. Ex quinque his ante Legem sacrificantium Exemplis abunde demonstrari posse iudico, quod Sacra fecerint, non ex mero Rationis dictamine & motu proprio, sed in fide innitentes Verbo Dei, ob εὐδοκίαν Dei in oblationibus testatam & cum spe Gratiae & remissionis peccatorum in Morte Messiae.

§. XXIV. Sequitur tertia Argumentorum Classis varias alias rationes pro Origine Sacrificiorum divina comprehendens. Ex his prima est. Omnis Cultus, qui Deo gratus, maxime publicus in Ecclesia Dei usitatus, poscitur a Deo institutus; Ἐθελοθρησκεία vero Deo non placet. Ergo etiam Cultus Sacrificiorum a Deo præceptus esse debet. Deus Israelis Populo suo Cultum externum præscripsit curatissime observandum Deut. VII: 11. & observabis דברים תאמר ותאמר דברים תאמר Præcepta moralia & Statuta ceremonialia & Judicia politica, quæ ego tibi hodie præcipio, ut facias ea. Et Cap. IV: 2. Non addetis Verbo, quod ego vobis præcipio, nec adimetis de eo ad observandum Præceptum Jehovæ. Conf. XIII: 1. Totus Cultus Ceremonialis Legibus circumscribebatur, speciatim Sacrificia jugia, sabbathica, festiva, Agni Paschales. Etiam sub Novo Testamento Ecclesia Christiana veneratur Sacramenta, Baptismum & S. Cœnam, utpote a Deo instituta. Cultus dicitur μάταιος qui Doctrinis & Præceptis humanis innititur. Matth. XV: 9. Ἐθελοθρησκεία male audit, etiam quæ prætextum sapientiæ habet. Coloss. II: 23. Dices: Alia longe fuisse tempora ante Legem; Hæc liberiora exstitisse. Resp. Discrimen agnosco, sed non totale. Iris, Circumcisio non habebantur signa Fœderis, nisi instituta a Deo.

21137.

a Deo. Conſimilis ratio Sacrificiorum, utpote ſpectant ad Cultum arbitrarium, non naturalem. Non fundata illa ſunt in Natura Dei & Hominum. Ut ſtatim plenius dicendum. Longe hinc alia ratio quam precum, gratiarum actionis &c.

§. XXV. *Cum hac conjunctiſſima eſt altera deſumpta a Natura Sacrificiorum, quæ nihil habent, quod per ſe Deo placeat, aut nos Deo acceptos reddat. Videamus. Quid eſt Sacrificium vel Fertum? Sacrificium eſt agnus, ovis, hircus, vel bos carne, ſanguine, offibus, cute conſtans: Ducitur ad Aram: Cultro occiditur, vita privatur, diſſecatur, comburitur, vel etiam pars comeditur a ſacrificantibus. Fertum conſtat ex Tritico aut Hordeo, quod fricatur, molitur, igne conſumitur. Quæ *judæis* Dei in his Sacris, quæ nihil intelligunt, nihil volunt, aut etiam funibus ad Aram rapiuntur, vi occiduntur? An ſana Ratio docet, Deum ſapientem, ſanctum, bonum Spiritum his capi. Qui tale quid credunt, ſtolidiſſimi mortaliſſimi ſunt. Talibus graviter illudit & ſumme λογικῶς illudit ipſe Deus. *Non ſumam de domo tua Juvencum; (Nec) e caulis tuis hircos.* Tuis ego non indigeo. *Quia mea eſt omnis fera ſylvæ; (Etiam) animalia in mille montibus. Novi omnem avem montium; & fera agrorum mecum eſt.* Noli igitur opinari, te mihi quidquam dare. *Si eſurirem, non dicerem tibi. Nam meus eſt orbis & plenitudo ejus.* Nec hoc ſolum ſcias velim, ſed inſuper, quod Sacrificia cum Natura mea ſpirituali prorfus non convenient. *Num quid ego ederem carnem taurorum & ſanguinem hircorum biberem.* Abſit. vid. Pf. L. 9-14. Noli dicere, nos, qui rectora de Deo*

ex Verbo divino edocti sumus, qui ratiocinia nostra ad illud instituimus, sanum ferre iudicium: Aliter vero iudicare, qui solo Lumine Naturæ ducuntur. *Resp.* Sine dubio Dictamen Conscientiæ in piis Patriarchis ante Legem non erat contrarium Verbo Dei & sanæ Rationi. Sed audiamus insuper Ethnicos sola Ratione utentes. Sic Poeta Vetus Cogitata sua de Sacrificiis exprimit:

Τίς ὧδε μῶρος, καὶ λίαν ἀνειμένος,
 Ἐυπίστος ἀνδρῶν, ὅσις ἐλπίζει Θεός,
 Ὅσῶν ἀσάρκων καὶ χολῆς πυρκαμένης,
 Ἄ καὶ κυσὶν πεινώσιν ἐχὶ βρώσιμα,
 Χαίρειν ἅπαντας, καὶ γέρας λαχεῖν τόδε.

Quæ sic reddit Interpres:

*Quis Gente in hominum tam supine est credulus,
 Aut stultus adeo est, qui Deos existimet,
 Seu bilis ustæ, sive crudorum ossium,
 Projecta quæ vix tangat esuriens canis,
 Gaudere donis, idque honori ducere,
 Facientibusque gratiam reponere!*

Apud Porphyri. περὶ ἀποχῆς l. II. §. 58. ex citatione Spenceri. Et Platoni visum est Sacrificia illis accensere, quæ mortales non intelligunt; quare etiam Numa Sacrorum apud Romanos restitutor Egeriæ Deæ monitu illa se instituisse dixit.

§. XXVI.

§. XXVI. *Tertia Ratio petitur ex distinctione Animalium mundorum & immundorum.* Hæc jam obtinebat ante Diluvium, ut supra ad §. XIX. observatum. Præcepit Deus Noacho: *Ex omni jumento הטהורה MUNDO accipies tibi septena, marem & femellam ejus; Et ex omni jumento אשר לא טהרה QUOD IMMUNDUM EST, bina, marem & femellam ejus.* Gen. VII: 2. Et quidem usus ejus erat in Sacrificiis. Noachus enim dicitur in Holocaustum sumsisse *ex omni jumento הטהורה MUNDO & ex omni Ave הטהור MUNDA* Gen. VIII: 20. Abel quoque & Abrahamus nonnisi animalia munda obtulerunt. Gen. IV: 4. XV: 9. Deincertissimum est, quod sub lege Mosaica nonnisi animalia munda Deo offerenda fuerint. Lev. I. Quæritur, an distinctio hæc animalium Instituti mere humani sit? Si ita, quænam justa divisionis ratio? An in Natura animalium? Quæ illa? Solida dari nequit. Constat ex Historia Ethnicos etiam sacrificasse Equos, Lupos, Porcos, Canes, Asinos, Cervas. Ergo Lumen Naturæ non docet distinctionem Animalium mundorum & immundorum: Alias gentiles abstinuissent ab immolatione Equorum, Luporum &c. Sequitur potius Deum distinctionis hujus Auctorem esse, maxime hunc in finem, ut Sacrificia cum delectu ex Animalibus sumerentur. Magis convenit cogitare ac dicere, Homines Deo obsecutos in eligendis Victimis, quam Deum Homines secutum fuisse. Quod tamen posterius alias asserendum esset. Vide jam supra ad §. XX.

§. XXVII. Prævidit hoc telum Spencerus & quo minus noceat, Curcellæi verbis satisfacere.

conatur; scil. primævos homines distinctionem fecisse inter Animalia & judicasse hæc magis decere Deo offerre, quam illa, quod mundiora essent. Nocet tamen. Non enim profert naturalem distinctionis rationem. Ratio, quæ recte se habet, lucem secum fert, quæ se ad conscientiam demonstrat. Tot alii, qui Rationis Lumen habent, hanc distinctionem ignorant. Quando insuper dicit hac in re Curcellæo bene convenire cum Adversario suo Heideggero, cujus verba ita sonant: *Distinctio inter munda & immunda Noachi tempore non fuit ex Mandato divino propter pietatem & religionem inducta; sed homines ea dixerunt immunda, quorum nausea naturaliter capti fuerunt: quæ autem in naturali usu munda, ad sacrificandum adhibita sunt; decuit enim immolari, quæ in hominum usu antecelluerunt.* Auctoritas Virorum, in Ecclesia licet celeberrimorum, in se nihil probat. Heideggero Heideggerum subsequente tempore, Themate majori cura pensitato, opponimus, cujus verba in *Hist. Patriarcharum T. I. Exercit. III. §. LII.* sunt: *Quid quod ante Diluvium occurrit distinctio animalium mundorum & immundorum, haud dubie a Deo instituta, eo potissimum fine, ut sacrificiis inserviat.*

§. XXVIII. *Quarta & ultima Ratio petitur ex Scopo Sacrificiorum, etiam illorum, quæ ante Legem in usu. Hic ita comparatus est, ut obtineri nequeat, nisi sit Sacrificiorum Origo divina.*

§. XXIX. *Sacrificia Patriarcharum spectabant primo ad Animum gratum erga Deum testandum pro Beneficiis collatis. Hoc ex scopo probabiliter obtulit Abel Gen. IV: 4. Indicat circumstantia temporis*

poris notata ψ . 3. *Factum est* \square ψ \square *a fine dierum, vel post finem dierum.* Quorum? Qui Annum constituunt. Anno absoluto pluribus Beneficiis per integrum Annum acceptis Sacra fecit Abel, testaturus, quod Gratia Dei vixerit & tot acceperit Beneficia spiritualia, corporalia, terrena. Consimili ratione, qua Israel sub Lege anno finito grates dixerat pro Beneficiis superiori anno collatis. *Is vero gratam Deo dicit* $\epsilon\upsilon\chi\alpha\rho\iota\varsigma\ \iota\alpha\nu$, *qui dicit eo modo, quem Deus sibi gratum esse testatus est, non quem homo excogitavit.* Hoc vero Argumentum fortius stringit, si addimus Abelem $\pi\iota\varsigma\epsilon\iota$, *fide obtulisse.* Sed de hoc, ejusque $\delta\upsilon\upsilon\lambda\acute{\alpha}\mu\epsilon\iota$ jam supra actum §. XIV & XV.

§. XXX. *Dein hæc Sacrificia spectabant ad Fœdus cum Deo initum confirmandum.* Constat clarissime ex Gen. XV. speciatim Ritibus ψ . 10, 11, & 18. Citra dubium excellentior in fœdere pars Deus, longe minor Abrahamus. Deus stipulatur Fidem & promittit Gratiam; sed Abrahamus astipulatur. *An credibile est hominem sola monente Ratione & arbitrio suo Actum fœderis per sacrificia corroborasse?* An Deus ab homine Sigillum sibi præscribi permittet? Quæ ratio Circumcisionis ad stabiliendum fœdus, ea ratio Sacrificiorum. At Circumcisio non ex homine ejusque arbitrio, sed Dei. Præterea ut se habet cum fœdere æterno, Antitypico; ita se habet cum fœdere typico. Illud confirmatur Sacrificio Christi a solo Deo præcognito & determinato; Ergo hoc Sacrificiis itidem a Deo ordinatis, divinis signis, quæ fidem tuto faciunt. Spenceri Cogitata loco, quem præ manibus habemus, nullam prorsus merentur fidem, utpote expres-

expressis verbis exstat, præcepisse Deum Sacrificia & species eorum *ψ.* 9. vide alia supra.

§. XXXI. *Insuper spectabant ad Numen ob peccata iratum placandum.* Hunc Sacrificiorum Scopum novimus ex Hilasticis tum Jobi, tum Amicorum Job. I: 5. XLII: 8. *Quomodo Ratio dicitur peccata mortibus Victimarum expiari? An Deus ita glorificatur? Quis inde usus? Ex Hypothesi Spenceriana sequeretur hominem excogitasse modum reconciliationis, Deum juxta inventum humanum Expiationis modum reconciliari. An sanctus Deus hac via ad Veniam & Gratiam teneatur? An homo persuasus de Deo placato efficitis victimis suis?*

§. XXXII. Hoc Argumentum colore suo non destitutum esse Spencerus agnoscit: ut vero eum abluat, ita respondet: *Fateor equidem Rationis oculum, Deum vel peccata remissurum, vel Victimam in Animæ peccantis locum surrogatam accepturum, nonnisi Revelationis alicujus lumine percipere posse. Crediderim itaque homines ante Legem traditam pia quadam simplicitate ductos Victimam obtulisse. Non quod certo persuasi, sed spe læta suffulti essent, benignum Numen respectu ad eorum dona pio affectu oblata habito veniam offensis concessurum. Non abluit colorem. Naturalis quippe & semper constans. Nam si, ut ipse Doctissimus Vir fatetur, peccatorum remissio & victimæ substitutio indiget Revelatione priusquam illas homo percipere potest, sequitur quoque Patriarchis talem obtigisse Revelationem, quandoquidem & illorum peccata remittebantur & Victimam in Animæ peccantis locum*

cum surrogabant. Vanum itaque est, quod credit homines pia quadam simplicitate ductos Victimæ obtulisse. Non adeo simplices Patres illa ætate fuerunt, quin sufficienter cognoverint ea, quæ Deus in cultu suo probat aut improbat: Fruiti sunt familiari cum Deo colloquio, ex quo sine dubio erudiebantur, si quædam Deo minus placuissent. Abrahamo perhibetur divinum Testimonium: *Scio, quod præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se יהוה דרך ושמרו ut custodiant viam Adonai & faciant Justitiam & iudicium.* Gen. XVIII: 19. Ergo viam non propriam, sed Dei calcaverunt. Magis miror de Patrum læta spe, quod Spencerus addit: Nam quomodo spes, nedum læta, jure locum habet, ubi nulla promissio antecessit, imo ne præceptum quidem, uti Vir Eruditus vult. In ejusmodi homine perpetuus pœnæ metus regnat, quum scit peccati fructum acerbum, ac Deum justum ejus Vindicem esse. Ita Patres hærebant dubii & anxii de peccatorum suorum venia, quia nunquam Deus dixerat, se offerentibus illa condonaturum, ita enim se ipsos fallere poterant, ignorantes, an talis Numini placandi modus acceptus futurus sit? Sed quam aliena hæc ab illis, quæ in Sacris exstant, sint, vix ullum latet, nec latere potest, si antea dicta legere non dedignatur. An possibile est, ut fides Abelis, Noachi, Abrahami tantopere commendata, imo nobis in exemplum a Paulo proposita, tam infirma fuerit, ut ipsi non persuasi esse potuerint, benignum Numen respectu ad dona habito veniam offensæ concessurum esse? Quomodo Abrahamus *Pater credentium* dicetur, si nos filii

fili secundum Promissionem magis firma fide a Deo donati sumus?

§. XXXIII. *Tandem spectabant ad præadumbrandam Mortem Christi ejusque Beneficia acquisita.* Hunc esse scopum Sacrificiorum Mosaicorum nemo Christianus negabit. Prostant plura clarissima Loca N. Testamenti hunc finem probantia, maxime in Epistola ad Hebræos, 2. Cor. V: 21. Rom. VIII: 3. Unde etiam Sociniani consimilesque Typorum hostes haud audent assertum hoc simpliciter negare. Ministerium diei Expiationis typicum fateri coguntur. Judæus non obstinatus hoc ipsum negare nequit. Vel quare Anima Messiae dicitur *אֵין קָדוֹשׁ* sacrificium pro Reatu. Es. LIII: 10. Quando vero Sacrificia Mosaica Typi Mortis & Beneficiorum Messiae erant, annon etiam Sacrificia Patriarcharum? Quæ Ratio diversitatis? An Deus revelavit, quod a Tempore Mosis scopus Sacrificiorum mutatus fuerit? Vel an Argumenta prostant in N. Testamento? An fundata in natura rei? Nullum dici potest. Recte concludimus. Sacrificia Mosaica præadumbrarunt Mortem Messiae; Ergo etiam quæ antecesserunt. Mosaica in substantia conveniunt cum Patriarchalibus: Sunt horum continuatio, hinc sequitur, quod idem omnium scopus. *Si vero etiam Sacrificia Patriarcharum præadumbrarunt Mortem & Beneficia Christi, certissimum est, quod sint instituta a Deo.* Non enim datur Typus vel Sacramentum verum non institutum a Deo. Typi naturam habent Prophetiarum realium, quæ vero Deum revelantem poscunt. Vel quis posset prædicere Adventum & Mortem Messiae, nisi
verus

verus Deus? Quis posset in Sacrificiis Gratiam Remissionis peccatorum promittere, si excipis Deum, adversus quem peccata committuntur, solum Gratiae Auctorem?

§. XXXIV. Atque ita, ut judico, fortiter probavi divinam Sacrificiorum ante Mosen Originem: utpote divinum est, quod a Deo præcipitur; quod in fide, quæ Verbo divino innititur, suscipitur; quod intentione Deum glorificandi (hæc enim intentio Voluntatem Numinis postulat) per agitur: quod Cultus Sacrificiorum fuerit Deo gratus, qui tamen per se Deo Spiritui acceptus esse nequit, nec sacrificantem commendat; quod certa animalia munda offerenda; quod denique Sacrificia fuerint ad *εὐχαριστία* dicendam, ad fœdus cum Deo initum confirmandum, Deum peccatis iratum placandum & ad Mortem Christi ejusque Beneficia prædicendum, promittendum. Hæc sufficiant pro adstruenda hac Veritate.

